

dedimus, donavimus et contulimus, ea iuris integritate ac plenitudinis quantitate, quemadmodum apud regiam maiestatem permanserunt et possessa extiterunt, perpetuo et irrevocabiler possidenda, tenenda et habenda. Ut igitur ipsius fidelitatis et devotionis merita ferantur oculis posterorum, et donationum ob hoc factarum tituli persistere valeant in vigore, et tam praefatus Vojvoda, quam sui filii et heredes, ac tota ipsorum posteritas in proprium, in corporali dominio dictorum castrorum, possessionum, villarum, iurium, proventuum, et generaliter quarumlibet utilitatum et pertinentiarum eorumdem absque cuiuslibet contradictionis obstaculo secure iugiter perseverent, et tranquillitate omnino potiantur, nec processu temporum aliquatenus privari valeant de eisdem, praesentes concessimus litteras nostras privilegiales autentici dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus honorabilis et discreti viri magistri Thatamerii, Albensis Ecclesiae Praepositi, aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini MCCCCL. tertio Kalend. Novembris, regni autem nostri anno IX. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Nicolao confirmato Strigoniensi, locique eiusdem Comite perpetuo, Dominico Spalatensi Archiepiscopo, fratre Dyonisio Archielecto Colocensi, Nicolao Agriensi, Andrea Transilvano, Demetrio Varadiensi, Nicolao Quinque-Ecclesiensi, Colomano Jauriensi, Mychaele Vaciensi, fratre Peregrino Bosnensi, Episcopis, Nicolao Zagrabiensi, Joanne Vesprimiensi, fratre Stephano Nitriensi, fratribus Thoma Syrmieni et Thoma Chanadiensi ecclesiarum electis, confirmatis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Palatino, Iudice Curiae nostrae, eodem Stephano Vajvoda Transilvano, et Comite de Zonuk, Oliverio Magistro Thauernicorum nostrorum et Iudice Curiae reginalis, Dominico Bano de Machov, magistro Nicolao de Zeech, Bano de Zeurino, magistro Paulo Thauernicalium reginalium, Nicolao Conth, magistro Pincernarum nostrorum, Comite Poseniensi, Theutus magistro Janitorum nostrorum, Comite Pilisiensi, Dyonisio Agazonum, Leustachio Dapiferorum nostrorum magistris, aliisque quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

E transsumpto Elisabethae reginae a. 1351 facto. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. T. IX. v. I. p. 756—764.

XIII.

Anno 1351. 6. Kal. Aprilis. Budae.

Elisabetha, Hungariae Regina, Regis Ludovici mater, donationem duorum inter fluvios Dravam et Muram sitorum castrorum, a filio suo Stephano Lacković factam, confirmat.

Elisabeth, Dei gratia Regina Hungariae etc. Omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis, praesentibus pariter ac futuris, salutem in vero